AD DOCTRINAE DE CONTAGIIS ORIGINEM QUAEDAM SPECTANTIA.

DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA,
QUAM
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
CONSENSU,
AD SUMMOS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE INEUNDOS,

CAROLUS AUGUSTUS HAFFNER
SEDINENSIS,

AUCTOR, PUBLICE DEFENDET
DIE XXX M. AUGUSTI A. MDCCCXVII.

BEROLINI,
EX OFFICINA LUDOVICI QUIEN.

Thesium in speciem proponitur:

1) *Venis etiam contento sanguini irritabilitatem respondere;*

2) *Tantummodo nervos primum irritari;*

3) *Methodum illam, qua remedia parvis initio atque in dies augendis dosibus adhibeantur, minoris fructus videri;*

4) *Hydrargyri sublimati usum in genere aliquantum esse coërcendum;*

5) *Rationi in omni scientia quae ex usu promanet, praesertim vero in re medica, decisionem nullo modo largiundam esse.*

Irrita et infoecunda queruntur ratiocinia: vaga enim esse, dubia, inter se opposita, quae usum saepe impediant. alii: experientiam juvari, inventa amplificari, illucescere asseverant; memoriae etiam subveniri: salubria quae historia utantur; quippe avia indicet, neglecta, incongrua.

Nova proferre, arduum opus, discriminis plenum, nisi priora quis perspexerit. et quicunque ignoto tramite, inconsulto in periculum ruit, reprehenditur.

Res gestas nosse ad mores refert: quae priores crediderint, ad scientiam. cur igitur tam manca doctrinae historia?

Contagium, si Henkio [1]) credimus, materia est, in animali specifici cujusdam morbi actione oriunda, quae propria vi, dum in caetera agit, eandem vel simillimam certe morbi speciem ibidem provocet. Miasmata verum ea subtiliora dicuntur, quae, ex aëre organismum occupantia, morbos quidem, sed neque eandem semper speciem excitent, neque in quibus, ex aegrotante animali progenita fuisse, necessario requiratur.

Ex quibus igitur apparet miasmata non nisi veneni quaedam genera haberi, quae, epidemicorum sive endemicorum morborum seminia, corpus male afficiant et cujuscunque indolis morbos, non ita generare, quam potius fovere et alitum instar proli incubare valeant; contagia vero pro seminibus esse, quae, veluti progenies ex similibus procreata, parentum species tuean-

[1]) Handbuch der Pathologie. Berlin, 1806. p. 171.

tur et propagent. Unde fortasse contagium patri, miasmata verum matri, vulgarium morborum ex aliqua parte comparari liceret: mater enim, quo volucrum imagine adhuc utamur, longe diversos ab ipsa foetus, substractis aliquando et mutatis ex ovibus proferet, qui non nisi calorem matri, speciem vero patri debebunt.

Perinde puta de miasmatum et contagiorum differentia. Cujus vero divisionis, non ubique tam strictae quam pro systemate, neque tam manifestae, quam gnaris nunc oculis objicitur, neque tam facile inveniundae, quam fortasse cuiquam videretur, operae pretium putamus, originem et quae majores nostri de ea re cognoverint aut non cognoverint, quidque omnino de eadem tradiderint, paucis repetere.

In genere enim in inveniundis ovum Columbi reputandum est, quod cum vir ille eximius multis circumstantibus in apice collocandum frustra obtulisset, ipse levi ictu testam infringens, haud difficile stabilivit; omnibus ut vanum irridentibus cum: interea joco isto gravissima sententia recluderetur, quam divus Homerus olim jam verbo: „ῥεχθὲν τε καὶ νήπιος ἔγνω,“ egregie proposuit.

Sed etiam res ipsa haec difficillima. Sane eximii viri quibusdam anni temporibus et quibusdam in locis, certas et distinctas morbo-

rum species atque id adeo sine ulla evidenti causa, provenire intelligebant, sed aëris conditioni illud adscribi, primum erat. Quin etiamsi, ex numero praecipue exanthematicorum morborum quidam, omnes anni, locorum et individuorum juxta constitutiones fierent, negari tamen non poterit, tum quoque magni semper momenti fuisse illas constitutiones. Quodsi vel aliam quandam causam subesse suspicati essent, quantum observationum factum fuisse oportebat, quo id perfici posset, ut rejecta de qualitatibus quatuor et totidem humorum in corpore superstitione, quae per tot saecula valida et sine contradicto fuit, aliarum praeterea qualitatum rationes mente reciperentur? Cum tamen videamus hanc de qualitatibus et humoribus theoriam, multa etiam saecula post Galenum viguisse et ubi novae objectae qualitates, impetu tanquam in renuentes sensus facto, aegre receptae essent, eas velut illicitas et illegitimas vel minime ut de quibus humana mente nihil cognosci posset, quoniam scilicet divus Aristoteles non cognovisset, occultarum opprobrio, ab omni cogitatione quam maxime arceri.

Veruntamen adeo, si ab isto errore sese abdicassent, quomodo jam Hippocrates loco mox citando, et de alia morborum quorundam causa

suspicionem concepissent, quantum adhuc à tali, nostra, divisione aberant? Dicit vero Hippocrates [1]).

Lib. de prisca medicina pag. 8. 20.

„Ὁκόσοι ἐπεχείρησαν περὶ ἰητρικῆς λέγειν ἢ γράφειν, ὑπόθεσιν σφίσιν αὐτέοισιν ὑποθέμενοι τῷ λόγῳ, θερμὸν, ἢ ψυχρὸν, ἢ ὑγρὸν, ἢ ξηρὸν, ἢ ἀλλ' ὅ, τι ἂν ἐθέλωσιν ἐς βραχὺ ἄγοντες, τὴν ἀρχὴν τῆς αἰτίης τοῖσιν ἀνθρώποισι τῶν νούσων τε καὶ τοῦ θανάτου, καὶ πᾶσι τὴν αὐτὴν, ἓν ἢ δύο προθέμενοι, ἐν πολλοῖσι μὲν καὶ οἷσι λέγουσι καταφανέες εἰσὶν ἁμαρτάνοντες. μᾶλλον δὲ ἄξιον. μέμψασθαι ἀμφὶ τέχνης ἐούσης, ᾗ χρῶνταί τε πάντες ἐπὶ τοῖσι μεγίϛοισι, καὶ τιμῶσι μάλιϛα τοὺς ἀγαθοὺς χειροτέχνας. — — — — — — — — — — διὸ οὐκ ἠξίουν ἔγωγε κενῆς αὐτεὴν ὑποθέσιος δεῖσθαι ὥσπερ τὰ ἀφανέα τε καὶ ἀπορεόμενα. περὶ ὧν ἀνάγκη ἤν τις ἐπιχειροίη λέγειν, ὑποθέσει χρῆσθαι. ὃ περὶ τῶν μετεώρων ἢ τῶν ὑπὸ γῆν εἰ λέγοι τὶς καὶ γινώσκοι ὡς ἔχει, οὔτ' ἂν αὐτῷ λέγοντι, οὔτε τοῖς ἀκούουσι δῆλα ἂν εἴη, εἴτε ἀληθέα ἐϛὶν εἴτε μή. οὐ γὰρ ἐϛὶ πρὸς ὅ, τι χρὴ ἐπανενέγκαντα εἰδέναι τὸ σαφές. ἰητρικῇ δὴ πάντα πάλαι ὑπάρχει, καὶ ἀρχὴ

---

[1]) Editio Foesiana. Genev, MDCLXII, ex qua quidem semper citavimus et latinam simul versionem promsimus.

καὶ ὁδὸς εὑρημένη, καθ' ἣν καὶ τὰ εὑρημένα πολλά τε καὶ καλῶς ἔχοντα εὕρηται, ἐν πολλῷ χρόνῳ. καὶ τὰ λοιπὰ εὑρεθήσεται, ἤν τις ἱκανός τε ὢν, καὶ τὰ εὑρημένα εἰδὼς, ἐκ τούτων ὁρμώμενος ζητέῃ.“

„Qui de medicina dicere aut scribere conantur et suae quaestionis genus calidum, aut frigidum, aut humidum, aut siccum, aut aliud quidvis proposuerunt, ii, dum rem brevi contrahunt et idem morborum et mortis in universum causae principium, unum vel duo constituunt, in multis quidem quae dicunt, plane errasse arguuntur. At vero istius artis nomine reprehendendi sunt, quae revera existit, quamque omnes in rebus maximis adhibent, cujusque peritos artifices summis honoribus dignantur.

— — — — — — — — — — — — — —

— quamobrem equidem ipsam (sc. artem) non censeo in inani quaestione versari oportere, sicuti quae sunt dubia et obscura, de quibus si quis dicere velit, cum rei de qua agitur accommodatam quaestionem proponere necesse est. Velut si quis de rebus sublimibus, aut sub terra positis disserat, aut earum naturam se nosse profiteatur, ea vera sint, nec ne, neque iis, qui disserunt, neque iis qui audiunt, satis fuerit manifestum. Neque enim datur ad quod quis veri cognitionem referat. At vero

in medicina jam pridem omnia subsistunt, in eaque principium et via inventa est, per quam praeclara multa, longo temporis spatio inventa sunt, et reliqua deinceps invenientur, si quis probe comparatus fuerit, ut ex inventorum cognitione ad ipsorum investigationem feratur."

et :

Lib. Praenotion. Sect I. pag 26. 7.

„ἡ δὲ διάνοια παρ᾽ αὐτῆς (φύσιος) λαβοῦσα ὡς προεῖπον, ὕστερον εἰς ἀληθείην ἤγαγεν. εἰ δὲ μὴ ἐξ ἐναργέος ἐφόδου, ἐκ δὲ πιθανῆς ἀναπλάσιος λόγου, πολλάκις βαρείην καὶ ἀνιαρὴν ἐπήνεγκε διάθεσιν. οὗτοι δὲ ἀνοδίην χειρίζουσι."

„Mens autem, ubi ab ea acceperit, quemadmodum ante dixi postea ad veritatem deducit. Quod si non ex evidenti incursione, verum ex probabili rationis fictione initium ducatur, placrunque gravem et molestam infert affectionem. Ii vero nulla via rem ipsam aggrediuntur."

Fuerint igitur morbi qui semet ipsos e loco ad locum propagarent et pestilentia ejusmodi in Hippocratis vita commemoratur [1]), [2]), tamen eorum etiam origo, in multarum conditionum

---

[1]) Hipp. vita secund. Soran. pag. 1298. 17.

„Καὶ παιόνων βαρβάρων γῆν λοιμῶν κατασκήψαντος, καὶ

concinnatione, annuente loci et anni constitutione, progenita fuerat. Quis vero tantus erat, ut ex illa occasionum fortuitorum et necessitatum congerie veram et vivam procreatam et generantem morbi causam, ut jam per se subsistentem, a prioribus occasionibus liberam, humana mente erueret? Praesertim cum, quod jam ante diximus, aër etiam tum agat et foveat, vel reprimat; cum ex hodiernis miasmatibus quotidie adhuc vera interdum contagia conformari et ex contagiis nulla non ad potentiarum omnino nocentium formam redigi, neminem fugiat, quod et tunc temporis fieri solitum fuisse, nemo dubitabit.

δεομένων τῶν ἐκεῖ βασιλέων πρὸς αὐτοὺς ἐλθεῖν, παρὰ τῶν πρεσβέων, τίνα ἦν ἐκεῖ τὰ πολλὰ τῶν πνευμάτων μαθὼν, ἐκείνους μὲν ἀπράκτους ἀπέπεμψε. συλλογισάμενος δὲ τὴν νόσον ἐπὶ τὴν ἀττικὴν ἥξειν, προειπὼν τὸ γενησόμενον, καὶ τῶν πόλεων καὶ τῶν μαθητῶν ἐπεμελήθη."

„*Quinetiam cum in Paeonas et Barbarorum regionem pestis ingrueret earum gentium regibus rogitantibus uti sese ad illos conferret, a legatis edoctus, quinam illic venti ut plurimum perflarent, illos re infecta dimisit. Cum vero recta conjectura judicasset morbum in Atticam perventurum, id quod futurum erat praevidens, tum urbium, tum discipulorum curam suscepit.*"

[2]) Conferat. etiam d. morb. vulg. L. III. Sectio III. p. 1083. A.

locus ist dissertatione pag: citandus.

Difficillime igitur, ex tanta rerum chaotica confusione, illam divisionem provocari potuisse contendimus, nisi in iis contagiis, quae nos fixa vocamus, initium factum sit. In hac enim, quae sensu percipitur morbifica materia, veram causam agnoscere facilius fuit, et notione semel mente concepta, circumspectare et comparare et observare licebat, quibus et cujus generis morborum causis, contagiosa qualitas adscribenda.

Quae vero facultas, ut ex scrutatione exanthematum prima sese obtulerit, necesse videtur, quippe lue venerea nondum cognita, si pestem respiciamus, ea aut ipsa exanthema est, aut si exanthematicam speciem minus cogitemus materiem sensu perceptibilem altera haec non offert.

Hippocrates quidem exanthemata quaedam perbene novit, ita ut symptomatica jam a criticis pro summi ingenii perspicacia distinguerit et quaedam ipsos morbos esse et alio etiam loco ipsis exanthematibus medendum esse tradiderit; sed in accuratiorem de ea re dispositionem et methodum nusquam descendit verum ita agit ut manifestum inde sit, illo tempore comitantes febres intuitos medicos, exanthemata parvi in genere existimavisse et fere non nisi in usum prognosis respexisse. Alio tamen

verbo, quod quamvis ex Magni sententia non propositum censeamus, ante dicta revocat et exanthemata morbos prorsus non esse affirmat. Quoniam vero omnia, quae de ea re apud Hippocratem commemorantur hic referre, libelli propositum et terminus vetat, verba ex iis, quae eadem exquisitissime tractant, proferre satis videtur. ait enim:

Coacae Praenot. Sect. II. pag. 189.

„Τὰ ἀμυχώδεα ἐξανθίσματα, φθίσιν ἕξιος σημαίνει.“

„*Pustularum eruptiones velut summa cute leviter lacerata aut vellicata, totius habitus tabem et corruptionem denunciant.*“

et:

de morb. vulgg. II. lib. sect. I. pag. 1009. G.

„Τὰ γενόμενα ἕλκεα, καὶ κρίνοντα πυρετοὺς καὶ φύματα. οἷσι ταῦθ᾽ μὴ παραγίνεται, ἀκρισία. οἷσιν ἐγκαταλείπεται βεβαιότα ται ὑποστροφαὶ καὶ τάχισται.“

„*Quae erumpere et febres decernere nata sunt ulcera ac tubercula, si non affuerint, judicationem ipsam tollunt; quibus vero intro subsistunt, certissimas et celerrimas morborum recidivas afferunt.*“

et:

ibid. sect. III. pag. 1020. C.

„ἐγενόντο καὶ ἐν τοῖσι θερινοῖσι πυρετοῖσι,

περὶ ζ', καὶ ή, καὶ θ', τρηχύσματα ἐν τῷ χρῶτι κεγχρώδεα, τοῖσιν ὑπὸ κωνώπων γινομένοις, μάλιςα ἴκελα· ἀναδήγμασιν, οὐ πάνυ κνησμώδεα. ταῦτα διετέλει μέχρι κρίσιος. ἄρσενι δὲ οὐδενὶ εἶδον τοιαῦτα ἐξανθήσαντα. γυνὴ δὲ οὐδεμία ἀπέθανεν, ᾗ ταῦτα ἐγένετο, βαρυήκοοὶ τε ἦσαν, καὶ κωματώδεες, πρόσθεν δὲ οὐ κάρτα ἦσει κωματώδεες ᾗσιν ἔμελλε ταῦθ' ἔσεσθαι. οὐ μὴν τὸ σύμπαν διετέλεον."

„*In febribus autem aestivis, circa septimum, octavum et nonum diem, aspredines quaedam miliaceae, culicum morsibus fere similes, quae tamen non admodum pruriebant, in summa cute subnascebantur et ad judicationem usque perdurabant. Ac ne eae quidem masculorum ulli eruperunt. Mulier vero, cui talia fierent, nulla mortua est. Hebetiori tamen erant auditu et soporosae, quamvis antea non admodum soporosae essent, quibus ista evenire debebant. Neque tamen in totum perseverabant.*"

et:

lib. de affectionibus, sect. V. pag. 325. 13.

„λέπρη καὶ κνησμὸς, καὶ ψώρη, καὶ λειχῆνες, καὶ ἀλφὸς, καὶ ἀλώπεκες, ὑπὸ φλέγματος γίνονται. ἐςι δὲ τὰ τοιᾶυτα, αἶσχος μᾶλλον ἢ νουσήματα. κηρίον, καὶ χοίραδες, καὶ

φύγεθλα, καὶ δοθιῆνες, καὶ ἄνθραξ ὑπὸ φλέγματος φύεται."

„Lepra, prurigo, scabies, impetigines vitiligo et alopeciae ex pituita oriuntur. Sunt autem ista foeditas potius, quam morbi; favus, struma, phygethla, furunculi et carbunculus ex pituita oriuntur."

Abunde ex his apparet, cujus momenti ejusdem temporis medici exanthemata habuerint. Neque mirum; nam acerrimorum exanthematum genera, variolae et morbilli Graecis nondum cognita fuerunt. Quod si vero de hac propositione quisquam adeo dubitaret, *Sennertum* legat de febribus, et *Werlhofii* disquisit. de variolis et anthracibus, et *Freindii* history of physick vol. I. p. 274, et *Stahlii* diss. de variolis et morbillis p. 4., et *Alberti* epist. de ortu variol. et morbill, et *Gruner.* antiquitt. variolarum ex arabibus solis repetendas.

Sed lepram mihi quisquam objiciet, cujus jam sacri libri mentionem faciant; cui vero Hippocratem respiciat suademus, loco supra (pag 10. nostr. difs.) citato; licet ibidem quoque Magnum desideremus, qui alibi: Praedict II lib. sect. II. pag. 114. E. et de morb. vulgarib. V. lib. pag. 1144. B. lepram morbum quidem esse, sed de contagio non fatetur.

Et quidem haec de exanthematibus, quae

veteribus ex parte neglecta, ex parte verum cognita non fuisse demonstravimus. Ista vero nobis causa videtur, cur non ita mirandum sit, tantum virum Hippocratem et plerosque praeterea, summa licet experientia et ingenii subtilitate praeclaros, ejusmodi divisionem illo jam tempore non concepisse, quod in sequenti disquisitione perspicuum reddere conabimur.

Hippocrates verum contagium non cognovit.

Parvi igitur momenti erit si asseveraverimus, contagii exactam notionem in libris Hippocratis omnibus singulisque, diligentissime licet totum opus propter eam rem perlustrantibus, nusquam nobis obviam fuisse; scilicet negativa demonstratio nihil valet ad probandum; sed locum mox citabimus, in quo de ea notione, si jam luculenter concepta fuisset, mentio facienda erat; quod vero aliter evenit. Dicit enim Hippocrates, indubio Magnus:

Lib. de flatibus sect. III. pag. 297. 17.

„ἐστι δὲ δισσὰ ἔθνεα πυρετῶν, ὡς ταύτῃ δίελθεῖν, ὁ μὲν κοινὸς ἅπασι, καλεόμενος λοιμός· ὁ δὲ διὰ πονηρὴν δίαιταν ἰδίην τοῖσι πονηρῶς διαιτεομένοισι γινόμενος. ἀμφοτέρων δὲ τουτέων αἴτιος ὁ ἀήρ. ὁ μὲν οὖν κοινὸς πυρετὸς, διὰ τοῦτο τοιοῦτός ἐστιν, ὅτι τὸ πνεῦμα

τωὔτὸ πάντες ἕλκουσιν. ὁμοίω, δὲ ὁμοίως τοῦ πνεύματος τῷ σώματι μιχθέντος, ὅμοιοι καὶ οἱ πυρετοὶ γίνονται. ἀλλ' ἴσως φήσει τίς. διὰ τὶ οὖν οὐχ ἅπασι τοῖσι ζώοισι, ἀλλ' ἔθνει τινὶ αὐτέων ἐμπεριπίπτοισιν αἱ τοιαῦται νοῦσοι; διότι φαίην ἂν, διαφέρει σῶμα σώματος, καὶ φύσις φύσιος, καὶ τροφὴ τροφῆς. οὐ γὰρ πᾶσι τοῖσιν ἔθνεσι τῶν ζώων ταυτὰ οὔτ' ἀνάρμοςα οὔτ εὐάρμοςά ἐςιν, ἀλλ' ἕτερα ἑτέροισι ξύμφορα. ὁκόταν μὲν οὖν ὁ ἀὴρ τοιουτέοισι πλησθῇ μιάσμασι, ἃ τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει πολέμια ἐςὶν, ἄνθρωποι τότε νοσέουσιν."

„Febrium autem duo sunt genera (ut id quoque hic attingam) unum quidem omnibus commune pestis appellatur, alterum vero ob privatam cujusque malam victus rationem contingens. Horum autem utriusque aër author existit. Communis igitur febris ideo communiter omnes invadit, quod eundem omnes spiritum attrahunt, et simili corpori spiritu similiter permixto, similes oriuntur febres. At forte objiciat quispiam: cur igitur non omnibus animantibus, sed alicui ipsorum generi ejusmodi morbi contingunt? Cujus rei causam esse dixerim, quod corpus a corpore, natura a natura et alimentum ab alimento differt. Neque enim cuivis animantium generi eadem sunt commoda aut incommoda, sed alia aliis conveniunt. Cum igitur aër inquinamentis

hujusmodi, quae hominum naturae adversantur plenus fuerit, tum homines aegrotant."

et:

de morb. vulgg. III lib. sect. III. pag. 1083. A.

„πρωῒ δὲ τοῦ ἦρος ἅμα τοῖσι γενομένοισι ψύχεσιν, ἐρυσιπέλατα πολλὰ, τοῖσι καὶ μετὰ προφάσιος, [1]) τοῖσι δ'οὒ. κακοήθεα. πολλοὺς ἔκτειναν. πολλοὶ φάρυγγας ἐπόνησαν. φωναὶ κακούμεναι. καῦσοι φρενιτικοί. ϛόματα ἀφθώδεα. αἰδοίοις φύματα. ὀφθαλμίαι. ἄνθρακες."

„Ante ver autem, una cum frigoribus consecutis ignes sacri plurimi, partim quidem aliqua de causa, partim quidem sine ea contingebant, atque hi maligni quidem multos sustulerunt. Multi ex faucibus laborabant, voces vitiatae erant, febres ardentes una cum phrenitide, serpentia oris ulcera, pudendorum tubercula lippitudines, carbunculi."

Sed hic Magnum intellige, qui causam (i. e. perceptibilem) prorsus non esse potius affir-

---

[1]) μετὰ προφάσιος, aliqua de causa — πρόφασις, *praetextui* Latinorum magis respondet; quo oblique dicitur, illam etiam non nisi hypotheticam causam esse; quod tamen latinis verbis non tam accurate reddi potuit. Mala enim victus ratio arguitur; quod ex verbis prioris citati in lib. de flatibus: ἢ δὲ διὰ πονηρὴν caet. magis elucebit.

mat, quam remotam et unde non evidenti ratione malum deducatur, supponat. Causae et effectus enim notio rebus non inest, sed a ratione infertur; quam vero, ut suis observationibus nondum fortasse satis fultam, tacitam habet.

Veruntamem illa asseveratione summum discrimen inimus, ampliss. Diemerbroeckii sententiae obviam facti, qui in tractatu de peste, I. lib, cap. IX. sic dicit:

„*Ita Hippocrates, omnes fere res notissimas praetermittens, tantum illa describit, quae vulgares ordinarie non observant et maximos saepe medicos latent. Ita ut Hipp. pestis contagium, tanquam notissimum quid, praesupposuerit hincque de eo verba non fecerit: cum tamen II. lib. de nat. hum. text.* 4, νοσηρῆς ἀποκρίσεως, *i. e. morbosi effluvii, et lib. de flat.* μιάσματων, *i. e. seminariorum pestilentium* [1]) *meminerit.*“

Persuasum enim nobis habemus, Hippocratem ideo rem silentio praetermisisse, quia non satis fidebat; quod ex parte jam ex dictis [2]) elucet, partim vero ex eo, quod in libris Hipp. quaedam etsi deprehendantur, ex quibus forsi-

---

[1]) Vide pag. 13. nost. diss.

[2]) Pag. 14. nost. diss.

tan concludere fas sit, veram illum contagiosorum morborum causam suspicatum fuisse, tamen nonnisi singulae de re notae in Hippocrate, vel in posteris etiam occurrunt et summa notionum confusio manifesta [1]).

Pestis adeo, cui illud contagium non modo suspexisse, sed ut rem vulgo etiam notissimam describere aspernatus esse dicitur, jam ipsius minime clara et distincta notitia; adhibitis enim infra locis apparet, veteres scriptores saepissime exitialem solummodo qualitatem spectasse, neque pro alia praeterea qualitate ab aliis morbis vulgaribus eam differre, cognovisse; ita Galenus III epid. comm. III. 20.

„*Non est certi* „*ait,*“ *morbi, nomen vulgare, vel pestilens. Caeterum quicunque in uno loco multos simul invadit, vulgaris hic vocatur; qui simul hoc habeat, ut multos perimat, pestis est* [2]).“

---

[1]) Sennertus etiam in libr. de febr. IV. cap. III. de Contagio, sententiam nostram egregie juvat; dicit enim pag. 392:

„*Terruit ipsos (Hipp. et Gal.) proculdubio, quidquid alii etiam dicant, rei gravitas, cum viderent, ut effectus contagii manifestissimi sunt, ita naturam et causas ejus invenire esse difficillimum.*

Sed vide etiam sequentia, pag. 20. nost. diss.

[2]) In hoc loco et sequentibus si graeca ipsa verba desiderares, cogita, ne libellus ultra consuetum terminum

Porro. Singulae notae, quae veri contagii quasdam qualitates perhibent (quod tamen in peste, sicuti pestis ipsius vera et specifica genera, exstitisse illo tempore, nemo dubitabit) multis praeterea quae ad miasmata sive vulgarium morborum in genere causas pertineant, miscentur atque id semper ita, ut causa interna praecipue morbo proponatur, quae a causa quadam epidemica, ὑπὸ θείνου, ἐπιδημίου, λοιμώδου, excitetur, ita ut manifestum sit, ex morborum causis maximi momenti haberi corpori insitas, quae humorum naturalium alibi specie, numero praesertim peccantium, ubi ex aëris quadam secunda et subveniente constitutione exuberent, morbum producant: non vero, ut organismo omnino contraria quaedam vis, in suas partes rapiat, corrumpat.

Ita quoque Hipp. et Galen. affirmant eos praecipue capi a morbis pestilentialibus, quorum valetudo jam aliunde labet, et omnis prophylaxis in eo versatur, ut justum humorum moderamen et aequilibrium singulis restituatur; cum tamen ex recentiorum observationibus indubium sit, alio quodam morbo laborantibus,

---

excedat, metu, nos haec et multa praeterea, quae etiam adhibenda forsan fuissent, omisisse et nobis, quos necessitas coercet, ignosce.

ea ipsa re, verae pestis et caetera contagia, ex parte vel procurari.

Quin si concedamus, in Galeno et aliis, praesertim sacris libris, nonnullas obversari sententias, in quibus e loco fugere, pro cautela proponatur, nunquam tamen ibidem nisi aër morbificus accusatur; quae vero morbifica qualitas miasmati et contagio aeque adscribi potest.

Ex Hippocrate verum, quo in hoc primo restringamur, Diemerbroeckius τὸ θεινὸν et quandam νοσηρὴν ἀπόκρισιν ad probandam sententiam profert. Facile tamen creditur τὸ θεινὸν illud in miasmate pariter ac in contagio suspectum fuisse; [1]) et quod ad νοσηρὴν ἀπόκρισιν, de qua loquitur: Hipp. loco a Diemerbr. citato [2]) ita ait:

„ὁκόταν δὲ νουσήματος ἑνὸς ἐπιδημίη καθεστήκῃ, δηλονότι οὐ τρὴ διαιτήματα αἴτια

---

[1]) τό θεινόν, altius perspectum, contagii naturae etiam contradicit, quia causam non ita communicantem et transitivam, sed potius singulos sporadice invadentem, ut recentem et discretam vim numinis menti proponit. (φαντάζει). Sed idcirco sensum hoc loco non urgemus, quia fortasse, qnicunque vel contra ipsius suam sententiam disputare amaret, prompte responderet, Coum senem imaginem modo quaesivisse, quae nimirnm sicunde claudicaret.

[2]) in edit. Foesian. pag. 228. 49.

ἐστὶν, ἀλλ' ὃ ἀναπνέομεν τοῦτο αἴτιόν ἐστι καὶ δῆλον ὅτι τοῦτο νοσηρήν τινα ἀπόκρισιν ἔχον ἂν εἴη."

„at vero, ubi morbus aliquis populariter grassatus fuerit, non victus rationem in causa esse, sed quod spirando ducimus, manifestum est, ipsumque morbosam quandam excretionem plane obtinere."

Hic vero maxime illud notandum est, quod *νοσηρὸς* accuratius latine *morbificus* [1]) audit; at *morbosus*, graeco verbo *νοσηματώδης* (si origo ex aegrotante, sive e morbo, dicenda fuisset) vel *νοσηματικὸς* (quod morbo obnoxium) potius respondet. Si igitur celeberr. Diemerb. originem ex aegrotante, sive ex morbo, [2]) hoc verbo vult intelligi, rem non satis secum reputasse, manifestus fit. Nihil igitur nisi noxiam, seu ex paludibus, seu ex putrescentibus in genere, excretam materiem, quae in aëre versetur, verbum offert; neque ullum praeterea indicium invenimus de origine ejusdem materiae ex animali, simili morbo laborante. Ex illa vero non

---

[1]) verbum non Ciceronis quidem auctoritate sanctum, veruntamen congruens et recentioribus usitatum.

[1]) quod, ita ut ad verum contagium requiratur, aeque D. loco postea citando, veteres non cognovisse fatetur et ideo argumentum quod verbo extorserat, ipse destruit.

inficitur aër et redditur contagiosus, sed potius ut cujuslibet generis venenum ingratus corpori et infaustus evadit.

Sed etiam celeberr. vir Diemerbroeckius sibi aut ipse contradicit, aut minime concedit, posse et aliam causam silentio supponi; quod quidem loco cit.

pag. 60.

„*Verum dicas; quare igitur plerique veterum medicorum contagii descriptionem silentio praeterierunt; vel adeo obscure de contagio locuti sunt? Respondeo: vel quia illos deterruit rei gravitas, cum ejus descriptionem difficillimam fore viderent.*“ — —

Quomodo verum illud cum: „Omnes fere res notissimas praetermittens“ ex priori et cum „de eo vix loqui dignati sunt“ in mox citanda sententia, convenit? Pergit D:

„*vel quia non cognoverunt aliud contagium, quam quod fit per immediatum contactum corporis morbosi, quo modo scabiem, lepram, morsum canis rabidi, aliaque similia contagiosa appellarunt.*“

Certo Hippocrates illum transitum morbi ab aegro ad mox aegrotaturum, nusquam commemorat, quodsi neglectis omnibus prioribus argumentis, Coum senem indignatum modo

fuisse, scribere de contagio, quispiam contenderet, is opinioni quidem multum speciosiori contradiceret ea asseveratione, quae ut citatis fulciretur, fortasse fieri non posset. Galenus vero et Rhases aliique praeterea, ejusmodi contagia viderunt, sed etiam quam maxime de re loquuntur; uti:

Gal. I. lib. de diff. febr. cap. II..

„*Pestilenti morbo,*" inquit, „*laborantium conversatio minime tuta, periculum enim est, ne concipiantur, ut scabies et lippitudo.*"

Rhases vero, ad regem Mansor. de re medica Lib. III. cap. XXIV. ita ait:

„*Terra in qua anthrax et pestilentia fiunt, fugienda est; quam si quis fugere non poterit et fuerit mansio vel exercitus in quibus ista fiunt, in loco altiori morari debet, locumque qui vento super est infirmi eligere. Aegritudines vero quae de uno transeunt ad alium, sunt lepra et scabies et phthisis et febris pestilentialis. Quae tum accidunt, quum aliqui in mansionibus angustis cum hominibus ista patientibus, vel sub vento sedent. Aegritudo etiam oculorum de uno ad alium, si eum intuitus fuerit, transit. Pustulae quoque malae et multae de uno quandoque ad alium transeunt. Est insuper summopere observandum,*

ut ab omnibus aegritudinibus malum habentibus odorem, sani elongentur ac supra ventum sedeant."

Sed ad inceptum redeamus. Pergit enim ita Diemerbroeckius:

„*Cum autem contagium in peste frequentius per medium, quam per immediatum contactum communicetur, propterea de eo, tanquam rariore, vix loqui dignati sunt."*

Haec quoque sententia „difficillimae descriptioni" de qua ante, propter „dedignationem" de qua hic loquitur, contradicit. „Rariora" vero ea sunt „quae saepe medicos lateant" et idcirco maxime de re dicendum fuisset, si ante [1]) a Diemerbr. proposita sequimur — quare in hoc loco summus vir non ex admiranda alias exactissima diligentia egisse, prorsus videtur. Denique vero:

„*Istius enim contagii,*" inquit, „*quod fit per vapores aërem fomitem, aliudve medium, vix uspiam meminerunt, propterea, quod causam morbi ita inducti, non corpori aegroto medium illud inficienti, sed ipsi medio infecto adscriberent.* — — — — — — —

---

[1]) Pag. 15 nostr. diss.

talem morbum veteres non a contagio corporis primo aegrotantis, sed a maligna aëris infectione proficisci dicebant neque id contagium appellandum esse judicabant."

Quae celebrr. viri vox, omnibus usque eo, vel contra ipsius sententiam a nobis prolatis fulcro est; primo quidem quod ea, quae ante (pag. 16 et 17) diximus, egregie juvat, deinde vero, quod ipse concedit veteres, ad concipiendam contagii effigiem necessarias quasdam notiones, ut originem ex animantibus similia perpessis, contagio male non attribuisse — et hercle! his jam e paucis verbis veterum manca et incongruens notitia a nostro contagio toto caelo diversa evadit.

Contagia igitur, quae nos in eorum libris deprehendimus, ipsi ut vera contagia non cognoverunt omnesque de contagiosa quadam qualitate observationes, licet passim dispersae et in uno alterove morbo ex parte descriptae aliquae inveniantur, non in unum conceptae sunt, quod primum est, neque etiam a miasmate disjunctae, quod alterum.

Permulta quae ad contagiorum exactam doctrinam pertinent, proximis vel temporibus inventa, ad nostrae et veterum scriptorum de re, doctrinae differentiam augendam, redundant; veruntamen etiam concedere aequum, in hac

adeo cognitione, plurima veteribus deberi; (quod postea demonstrandum) sed hic, ubi de Graecis inprimis disserere instituimus, vitium in eo offertur, quod notiones singulas quae, saepissime etiam, animadvertebantur, non in caeterorum quoque vulgarium morborum genera adhibuerunt neque compararunt nec scrutaverunt, quidnam illud, quod multis et quidem perniciosissimis ex iisdem commune erat; sed quod quaeque in uno morbo reperta ibidem sepeliverunt et etiamsi in alio quodam morbo multum similia adessent, quae ad conjecturas, vel ejusmodi notionum certe collationem elicerent — vitium est, quod ne experimento quidem facto, omnino re abstinuere.

Graeci igitur contagium nostrum non cognovere; videamus tamen quid Galenus in genere dicat, antequam ad alios transeamus.

Galenus, quid perhibeat.

In Galeno verum haec fere aequo lectori offeruntur:

Primo enim G. omnia inter se confundit et miscet ita ut mirandum sit, virum maxima sollertia in genere distinguentem, in iis quae ad exanthemata et pestem pertinent, omissa consuetudine, differentiis agnoscendis velut repugnare. Quod, jam ex priori citato de peste

apparet (pag. 16) deinde vero ex sequentibus. Dicit enim:

lib. de tumorib. c. 13.

„*Depascitur herpes quoque, quae circum sunt perrodens, sed solum cutis exulceratio est. Phagedaena vero cum cute, quae subjecta sunt, attingit quoque. Chironia vero et telephia vocare ulcera supervacaneum est. Sat enim est omnia communiter cacoëthe i maligna appellare. Scabies quoque et lepra melancholici affectus sunt solius cutis: ut, si quidem in venis quoque et carne fiant cancer nominantur.*"

Itaque contagiosa et non contagiosa vel quaelibet cutis affectiones proinde ei et ex atra bile similiter oriunda. Secundum vero intelligitur, Galenum transitum morbi ab uno ad alterum cognovisse; sed ita, ut ejusmodi observationem non aliis similibus compararet, sed mere epidemicis potius qualitatibus, quo epidemicorum cum contagio confusio manifesta foret. De quorum vero primo ante dicta (pag. 21.) de sequenti vero haec considerari jubemus:

Gal. I. de diff. feb. cap. IV.

„*Magna autem ex parte ex inspiratione incipit (febris pestilentialis) aëris circumstantis a putrescibili evaporatione infecti. Putre-*

dinis autem principium vel cadaverum multitudo non crematorum, quemadmodum in praeliis contingere solet, aut ex aliquorum vel lacuum, vel paludum, aestatis tempore, evaporatione — — — — — — — — — — — —
forte autem per continuum ex Aethiopia quaedam putredinis fluxere contagia."

Quo vero loco dicendum fuisset in quantum ejusmodi contagium ab halitu paludum differat. Cum vero quibusdam aliis in locis, non ita sub certo quodam aëris statu, quam post illum morbos pestilentiales oriri, asseveret, illud reputare debuisset, quod, si venti contagium afflavissent, iidem ubi ex alia regione spirare coepissent, contagium secum rursus auferrent, necesse fuisset, nisi jam in locis a contagio correptis propria vis materiam morbosam regenerans, e ventorum et antecedente aëris statu non pendens, oborta fuisset. Causa enim exacta, causa amplius non est; sed aliquid relictum esse debuerat, quod verum contagium contineret.

Denique vero Galenus I. lib. epid. comm. in prooemio, contagium ab endemicis luculenter sejungit, veruntamen cum epidemicis confundit atque ideo desideratam illam divisionem aut omnino non concepisse aut proferre non ausus videtur; dicit enim sic:

„Non hoc quidem libro Hippocrates Coüs agere instituit de propriis cujusque regionis morbis, sicut sane alias nonnunquam; quod fere sermo ipsius omnis sit de morbis, qui passim grassantes nominantur, qui ab regionalibus sic differunt: quod hi quidem per aliquod tempus aliquam regionem pervadant: hi vero incolas, ac si cognati essent, nullo non tempore comitentur."

Non ita mirandum etiam censemus, tanto viro Galeno, quem Benedictus Rinius „immensum illud doctrinae pelagus, multaeque lectionis hominem" vocet, ex scientiae mole usum et motum paullisper impeditum fuisse. Sed ad caeteros progrediendum.

Graecorum et romanorum scriptorum alii.

Pedacius Dioscorides Anazarbaeus in operibus omnibus (ex interpretat. Saraceni MDXCVIII) materiam medicam et therapiam quidem, sed minime nosologiam tradit; itaque ex rei ingenio, de contagio nihil profert. Tantopere enim abruptus et mere therapeuticus est, ut, verbi causa, de morsu canis rabiosi sic incipiat:

„λυσσοδήκτοις δὲ ὠφελεῖ." . . .

i. e. *„morsis a cane rabioso conferunt haec."* . . .

A. Corn. Celsus in libris de medicina similia fere tractat. Tamen lib. I. cap. X. pestilentialium morborum complúres esse species indicat, sed de cau'sa ibidem et praeterea nihil:

„Cum vero haec in omni pestilentia facienda sint, tum in ea maxime quam Austri excitarint.“

Caelius Aurelianus Siccensis in libris V. tardar. passionum, ex cutis affectionibus elephantiasin et phthiriasin nominat, de contagio vero non loquitur.

D. Oribasius Sardianus in III Euporiston libris, quoque nihil profert, quod ad rem pertineat nisi quod lib. I. in cap. de exanthematibus ita ait:

„Igitur ex acredine humorum exanthemata in cute corporis generantur et mordicationem in corpore aut in veretro, quandoque secessus faciunt ventris aut urinam patiuntur.“

Arabes.

Nunc vero illi fonti appropinquamus, unde jam majorem fructum sperare possumus. Arabes enim variolas et morbillos noverunt et ita descripserunt, ut neque ad pathologiam, neque ad therapiam posteris multum addendum reliquerint. [1])

---

[1]) Conf. Gruneri disq. d. variol. et morb.

Praeterea de pestilentia, de canis rabidi morsu, de scabie, lepra, exactior jam notitia illis suppeditavit ad contagii obscuram indolem magis, magisque perspiciendam. Hi enim jam syllogisantes, exanthema exanthemati earumque causas inter se et venenis comparavere et saepissime ut ex aëris constitutione non pendentes cognovere; neque minus corpora animantium ex contagio correpta in contagii speciem omnino permutari et assimilari intellexere; non vero ut Galen. et Hipp. (pag. 17 nostr. diss.) ideo pestem fieri, quod humor aliquis, simili superveniente aëris qualitate exuberet et superet.

Sed nonnulla referimus. Dicit enim:

Averroës: [1] „*Et fiunt haec apostemata propter alia apostemata facta in aliis partibus corporis: atque omne membrum hanc virtutem expulsivam mandantem alteri. Et etiam fiunt ex hac variolae et morbilli et propterea, quia nullus evadit ab his duobus, nisi habeat haec. Et non potest dici ut fiant ex causis extrinsecis: atque illae non sunt necessariae in omni homine et ista aegritudo est sicut naturalis: et propter hoc dicit quod haec aegri-*

---

[1]) Colliget Averroys 1531) lib. III. cap. IX.

tudo provenit a mala materia fixa in cibo embrionis.“

et:

Abhomeron Abynzohar [1])

— „*Cognoscendo quod non corrumpitur aër solummodo ex causis praedictis*“ (aestu et humiditate, quas ex Hippocrate refert Abynz.) „*verum etiam ex putredine aëris, quae fit a corporibus hominum: qui mortui sunt in bello in magna quantitate: quando diu morantur in loco*“ — —

praeterea ex aliis jam notis causis.

cap. II. pestilentias et epidemias singulas nominat:

„*Aquae vero mortuae, quae non moventur: et replentur faecibus: et in se bulliunt: et putrescunt: et foetent: sunt causa corruptionis aëris et pestilentiae: et epidemiae, et faciunt oriri febres acutas: et apostemata mortifera et adhuc pejus faciunt.*“

Rhases in lib. de pestilentia:

„*Conflatur autem pestilentia, cum sanguis perputrescit effervescitque* „(ut mustum)“ *ad efflandam vapidam et limosam redundantiam. — — — Assimilaturque pestilentia per*

---

[1]) Geminum de medica facultate opus) 1531. lib. III. cap. I.

sese fervori spumanti, quod musto solet evenire fervoris tempore. Ea propter hominum fere omne genus huic morbo obnoxium est et impensius mares, quod sanguis necessario transmutetur de primo statu in secundum, ut musta quoque necessario transmutantur in statum qui est post fervorem ebullitionemque; vixque comperta est complexio infantis aut etiam pueri mutata de primo in secundum statum in tempore et statim et deinceps ut fervor appareat et mutatio in sanguine in tempore et statim. — — — — — — Commutatio autem fere fit in hoc morbo juxta complexionum differentias et victus et habitus et aërem circumfusum et sanguis statum, qui in venis, in quali et quanto. Atque hac de causa in aliquibus praeoccupat, in aliquibus postea subsequitur et in aliis augetur et in aliis minuitur estque in aliis qualitate admodum atrox, in aliis minus atrox.“

Egregie morbos pestilentiales paullum quidem vigore et specie secundum circumstantias differre intelligit, tamen vero non ex aëre pendentes, juxta omnia omnes invadere.

I. lib. divisionum Cap. CLVIII

— — — „*tunc scias, quod ipsa est febris pestilentialis; et proprie quando commu-*

nicat et multiplicatur; et sunt pestilentiae manifestae in aëre circundante eos, ex eis quae dicemus; stude ergo tota intentione in confortando cor istorum et temperando aërem continentem eos — — et intromitte eos in domos odoriferas, mundas."

hic miasma indubio non supponitur, sed verum contagium.

XVII lib. Contin. cap. VI.

— „*et possibile quod eorum halitus sit foetens, et plures ex his moriuntur — — dico: quasi in aëre ibi contento: et in cordis substantia non est mala complexio."*

et:

Avicenna [1]) IV. libr. Canonis

Fen. I. tract. II. cap. I.

„*et istae causae sunt juvantes in generatione oppilationis, generantis putredinem. Aut propter dispositiones extrinsecas ex aëribus malis, sicut est aër pestilentiae, et aër lacunarum et locorum infusorum in quibus madefiunt res, ut linum et aspaltum"*

---

[1]) Alraiis, Abuhali, Alhasen, Ebenhali, Ebensina i. e. Princeps (scientiarum et dignitatum lauro) pater Hali, *Alhasen,* Filius Hali, Filii Sina — vid Andr. Alpag. in prooem. edition. Basil. 1556.

ibid. tract. IV. cap. I.

— „*similiter aër non putrescit secundum dispositionem suae simplicitatis; immo propter illud quod admiscetur ei de vaporibus malis, qui permiscentur ei, et accidit toti qualitas mala. — — aut in quibus sunt corpora cadaverum corrupta in proelio aut corpora mortua ex peste, non sepulta aut non combusta.*“

Cap. VI.

— „*Et de hoc est, cujus causa est adveniens extrinsecus, ebullire faciens, occulta quae permiscet humores cum sanguine — et variolae quidem et morbilli sunt de summa aegritudinum contagiosarum.*“

tract. III. cap. I.

— „*aut propter vicinitatem leprosorum, quoniam aegritudo est contagiosa.*“

tractat. IV. cap. V.

„*Accidit cani rabies, quae est conversio suae complexionis ad melancholicitatem malignam venenosam — et accidit complexioni ejus ut alteretur, sicuti accidit leprosis. — — — — quod si*“ (homo ex canis morsu rabidus) „*momorderit hominem apud commotionem vel furiam suam, accidit illi homini quod accidit ei; et similiter quod superfluit ex aqua aut potu quem ipse bibit et quod*

superfluit ex cibo quem ipse comedit, operantur illud in eo qui ex ambobus assumpserit vel comederit.“

Jam vero ultimum et quidem luculentissimum signum proferimus, Arabes exacte cognovisse, contagium a miasmate differre. dicit enim Avicenna in libri de removendis nocumentis, tract. I. sic:

„*Nam aëri firmo, non commoto accidit alteratio aliqua declinans aut ad similitudinem pestilentiae ex putredine calida, quamvis non sit pestilentia vera (pestilentia enim non accidit nisi a causis aliis) aut declinans in qualitatem frigidam, coenosam, paludosam.*“ —

Quae si altius perspicimus, res ita sese habet:

Aër firmus, non commotus, alterari dicitur

1) ex putredine calida, ad similitudinem pestilentiae; cum tamen vera non sit, similitudo ista non nisi ad perniciosam et vulgarem indolem attinet; quam igitur Avicenna non ad necessarias et constituentes pestem qualitates annumerat.

2) aut declinando ad qualitatem frigidam, coenosam, paludosam; quare aërem ex endemicis quoque affici posse demonstratur; exhala-

tiones enim coenosae, paludosae, endemicae sunt.

His igitur remotis superest vera pestilentia, per se existens, quae non nisi a causis aliis accidat, minime vero ex putredine; quae omnia fere ea sunt quae nos ad coercendam contagii notionem inhibemus. Quod vero magis magisque tibi elucebit ubi cum antecedentibus: „alterari ex sua complexione in alteram; conversionem suae complexionis ad melancholicitatem malignam, venenosam, fieri, sicut accidat leprosis; lepram contagiosam esse; aërem non putrefieri secundum dispositionem suae simplicitatis, immo propter illud quod admisceatur ei de vaporibus malis, ex corporibus ex peste mortuis et non sepultis; et esse pestilentias manifestas in aëre circundante eos qui peste laborent; assimilari pestem per sese fervori spumanti, quod musto soleat evenire fervoris tempore; commutationem fieri in hoc morbo juxta complexionum differentias et victus et habitus et aërem circumfusum et sanguis statum qualescunque; caet:“ comparaveris. Si denique his omnibus „causam eam occultam“ Avicennae „extrinsecus advenientem et ebullire facientem“ adjicias, quis est qui non videat verum nostrum contagium intelligi? Quid enim contagium nostrum, nisi occultum aliquid, cu-

jus tamen in corpora animalium agendi nonnullas facultates, multorum saeculorum experientia adjuti, perspicere valeamus?

Conclusio.

Contendimus igitur Arabes et inprimis Avicennam fuisse, qui contagii singularem et a miasmate diversam naturam primi mente conceperint, eundemque Avicennam primum, qui contagium per se liberum ab aëris conditione similibusque, ut vim obscuram, i. e. vivam [1]) cognoverit, qui morborum contagiosorum transitum et regenerationem fieri, manifeste prolocutus sit, qui denique haec omnia in contagii notione simul collocaverit et composuerit ita, ut quocunque loco de contagio disserat, ejusdem notitiae de singulari indole, de vita et simul de obscuritate contagii, conscius appareat.

Quod vero Avicenna illud summum invenerit, divinae ejus perspicaciae et ingenii aptitati tribuendum. Quaevis enim observatio lu-

---

[1]) omnia enim, quae ex universae naturae communibus legibus fiunt intelligere (quamquam id etiam temere) videmur, dummodo quae acciderint a mente jam ad leges istas reducta sint — vita tamen (quod quidem fidissimum signum) nulli unquam rationis canoni respondet neque subjicitur, quoniam libera est et ex proprio arbitrio varia.

culenter ei concepta, mentis suae, sicut pellucido scrinio, aptissimo loco condita, praesto huic ingenio et ad usum semper in promptu erat. Inde luculentissima et maxime imitanda scriptorum suorum dispositio; de quibus Rinius in epistola ad filios, editioni Avicennae praemissa sic:

„*Nam si quis attente consideret ipsum*“ (librum) „*liquido deprehendet unum quid esse, non ex multis partibus sine continuatione et ordine acervatum, sed apte et concinne, tanquam in unum corpus coëuntibus membris exstructum: nec ipsum reperiet incultum semen continere, aut obscurum adeo et breve compendium ut longam explicationem requirat; neque usque adeo prolixum et diffusum, ut molestia taedioque legentes afficiat.*“

Quare Avicenna omnibus eorum temporum scriptoribus, praesertim vero ideo praeminet, quod ipse multo minus superstitionibus obnoxius fuit.

Attamen vir tantus non eo valuit, ut omnia quae nos de re cognoverimus, proposuerit; quod vero per se indubium simul et excusatum, quoniam non ita multis, ante nostra tempora, annis omnia haec a summis viris demum reperta et composita sunt; in quibus vero principes Sennertus et Diemerbroeckius et Werlhofius

aliique, quorum libros evolvisse in rem nobis visum fuit. Untzerus vero in: „Einleitung zur allgemeinen Pathologie der ansteckenden Krankheiten" de nostro proposito nihil, et Bernhardi „über d. Natur d. Spitaltyphus u. d. ansteckenden Krankheiten überhaupt" historiam quidem de contagiorum doctrina esse asseverat, sed nulla voce eam perhibet.

De quibus vero, sicuti de multis praeterea dicere in animum ideo nullo modo induximus, quia libri isti in omnium manibus versantes, aeque ac à nobis facile a quocunque evolvuntur, qui proximas de re disquisitiones noscere velit; tum etiam quoniam ejusmodi propositio a nostro instituto omnino abhorret.

Quare nisi viribus nostris, quae quam sint exiguae nos non latet, gravior sit haec disquisitio — quod quidem valde pertimescimus, ne ita sit — fortasse problema nostrum de origine notionis contagii et ejusdem, in exanthematicorum morborum diligentiori scrutatione (quae vero apud Arabes) initio petendo, ex parte solvisse speramus. Sed jam ad aequos judices rem deferimus.

Finis.

Ex decreto Grat. Med. Ordin. adjectum

Vitae curriculum.

Ego, Carolus Augustus Haffner, Sedini Pomeranorum a. MDCCXCIV d. IV Iduum Novembris, natus, decimum aetis annum agens ibidem gymnasio receptus sum. Maxime juvat ex illo tempore virorum clarissimorum, nec non doctissimorum meminisse, qui sicuti exemplo simul atque exhortatione in libertatis et patriae amorem animum accendebant, ita ingenium ad litterarum, bonarumque artium studium illectum, summa industria colebant, praeceptis et institutione augebant. Quin et vera paterna cura in posterum absentem amicitia et consilio, in omne aevum gratia usque eo me devinxere, ut quibus-

cunque modis si non vicem reddere, reddendi tamen maximum studium demonstrare, nunquam non conabor. Ex quibus Illustrissimi Sell, celeb. Schulz praematurum heu! obitum defleo; illustriss. Koch, e consiliis regiis. cel. Jantzen, Hasselbach, Grassmann, Küsel, ne publicum diligentiae, amoris, venerationis signum hoc accipere dedignentur rogo atque obsecro. —

Examinibus rite absolutus, hanc almam litterarum sedem petivi, civibusque adscriptus sum, mense octobri a. MDCCCXII, rectore ampliss. a Savigny. Inde philosophiae, historiae naturalis, physices et anatomiae studio incubui, ducibus Solger, Fischer, Knape, Rudolphi, clarissimis et illustrissimis viris, donec appropinquante jam vere anni MDCCCXIII, patria ad defendendum arma poscebat. Et tunc quidem raptim profectus, duce a Borstell, legato, iis praeliis interfui omnibus, quae ab ejusdem copiis et ab exercitu a Septemtrione dicto, in hostem usque ad captam Lipsiam egregie pugnata sunt. Quo loco, gravissimo vulnere et mox superveniente typho contagioso, per quatuor menses detentus, licet inde vexillum iterum petivissem nihil praeterea manu valui, debellatis enim Gallis, ipse et Gallia remeans denuo typho isto Lutetiis correptus.

Item anni MDCCCXV bellum, nondum clauso mihi vulnere supervenit; quare negatis armis, eo libentius ad litteras me recepi et botanices, zoologiae, anatomiae, chemiae, physices, philosophiae studium amplexus sum, ducibus celleberr. Lichtenstein, Heyne, Turte, illustr. Knape, Rudolphi, clariss. Solger, Erman, Hermbstädt. In physiologia vero, anatomia comparativa et pathologica ill. Rudolphi, ubi ad pathologiam ipsam et therapiam accedere valui, summos, maximeque illustres Hufeland, Berends, Horn doctoros mihi vindico. Quibus iisdem summis et perillustrissimis viris, si qua mihi inest materiae medicae cognitio, debeo, et ad eosdem examinandi aegrotos, morbosque sicuti natura obveniunt diligentissime cognoscendi, tractandi in clinicis institutis parandum, usum refero.

Neque minus in re chirurgica et ophthalmiatrica egregio praeceptore, illustriss. Graefe usus sum, qui praeter ophthalmiatricam et chirurgiae generalem doctrinam in aciurgia et quae de luxationibus et fracturis singulatim traduntur, me instituit.

Cum igitur omnibus fere iis, quae in usum medicinae studiosorum docentur, interfuerim,

tentamine et rigoroso examine rite absolutum, ex Gratiosae Medicorum Facultatis decreto, doctoris honores et immunitates me consecuturum spero et exopto. D. Berolin. d. xjjj Calend. Septemb. a. MDCCCXVII.
